actu eſſentiali, & notionali divinæ voluntatis ad intrà ſufficiens eſt ad meritum, ut dictum eſt ſuprà *num.* 351. & 382. atque ideò maiorem adhuc libertatem agnoſcere debemus in Chriſti actibus etiam præceptis, ut per eos perfecte meruiſſe dicatur. Gallus autem *loc. cit.* è contrario ità reſpondet, ut velit in Chriſto aſtruere potentiam etiam propinquam, & expeditam ad utrumlibet; inquit enim ad aliquem actum liberè à voluntate eliciendum non peti omnia adeſſe, quæ ad oppoſitum actum poſtulantur, ſed tantùm quod voluntas circà illum actum nihil intrinſecum habeat, per quod in uſo, & exercitio ad illius executionem determinetur; voluntas autem Chriſti, licet ad fruitionem eſſet determinata, & prædeterminata, circà alia omnia erat libera, & ſuæ poteſtati relicta, ut notat Doctor 4. *diſt.* 46. *qu.* 4. *artic.* 3. *verſ. in quarta* dicens; voluntatem beati à Deo detineri in fruitione beata, ſtante tamen libertate conſiderandi alia obiecta, & ea amandi, quorum conſideratio, & dilectio non impedit illud bonum; Quod verò ad libertatem non requiratur impromptu eſſe omnia, quæ ad oppoſitum actum petuntur, patet experimento; nam plerumque evenit, ut circà deteſtationem ſuorum peccatorum, vel Dei amorem, aliquis ità ſit occupatus, ut nihil de oppoſito cogitet.

396 At ſi per hæc intendit hic Auctor adſtruere in Chriſto plenum, & expeditum libertatis uſum circà præceptorum obſervantiam, qualem nos habemus, in alterum abit extremum; & vix, ac nec vix quidem eius impeccabilitatem cum tanta libertate ſalvabit; Et quamvis gratis fateamur ad aliquem actum liberè à voluntate eliciendum opus non eſſe omnia adeſſe, quæ ad oppoſitum actum poſtulantur, quià id tantùm ad libertatem ſpecificationis, ſeù contrarietatis requiritur; poſtulantur tamen omnia neceſſariò prærequiſita ad agendum, inter quæ una ex præcipuis conditionibus requiſitis eſt concurſus Dei paratus ad utrumlibet, hoc eſt ad operandum, & non operandum, itaut in actu primo non ſit ad alteram partem determinatus, ſed ad utrumlibet indifferens; Neque Scotus *cit. diſt.* 46. *q.* 4. intendit in Beatis adſtruere circà alia obiecta plenum, & expeditum libertatis uſum, qualem nos Viatores habemus, ſed talem uſum præcisè, qui non impediat illud bonum, ut conceptis verbis ibi ſe declarat, undè non maiorem libertatem ibi aſtruit in beatis, quàm quæ ab eodem deſcribitur, ac plenius declaratur infrà *diſt.* 49. *qu.* 6. §. *dico ergo*.

397 Itaque dicendum eſt Chriſtum in actibus non præceptis habuiſſe perfectum, & plenum libertatis uſum; actibus verò præceptis, licet non habuerit plenum libertatis uſum, non proptereà habuiſſe ſolam libertatem à coactione, vel libertatem eſſentialem cum intrinſeca neceſſitate cohærentem, ſed prætereà habuiſſe libertatem etiam aliquo pacto neceſſitati oppoſitam, & cum contingentia connexam, qua ratione inquit Doctor 1. *diſt.* 1. *qu.* 4. *art.* 3 & 4. *diſt.* 49. *qu.* 6. *D.* voluntatem beati etiam reſpectu fruitionis contingenter ſe habere, non neceſſariò; quod ità declarat ibidem, §. *dico ergo*, quia nimirum voluntas poteſt dici libera vel proximè, vel remotè; primò modo libera dicitur cum poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis ità elicit actum, ut poſſit etiam abſolutè non elicere, quo caſu potiri dicitur pleno, & expedito uſu ſuæ libertatis, ſecundo modo libera dicitur cum in elicitione actus eſt ità determinata ad agendū, ut nequeat actum ſuſpendere nō quidem ex ſe, & ex propria natura, quia reſpectu cuiuslibet actus, & obiecti voluntas creata, quantum eſt ex ſe contingenter ſe habet, & cum indifferentia ad agendum, & non agendum, etiam fruitionem ipſam includendo, ſed ab extrinſeco; non quidem ab aliqua forma ſibi à Deo impreſſa, ſed ab ipſo Deo immediatè, quatenus non vult concurrere ad oppoſitum illius actus ut declaratum eſt *diſp.* 7. *de Anima à num.* 144. ex quo conſtat neceſſitatem, quàm Beatus habet in elicitione actus fruitionis, eiuſque continuatione, non eſſe intrinſecam, ſed ſolùm extrinſecam, ideòque non tollere intrinſecam actus contingentiam, qua ratione inquit Doctor ibid. lit. K. voluntatem in eius actus elicitione eſſe laudabilem, pro quanto ipſa voluntas in ſuo ordine contingenter ſe determinat: imò addit poſſe dici quod contingentia voluntatis in ſuo ordine concludit contingentiam ſimpliciter effectus, & per conſequens ſimpliciter contingens eſt, quod non peccet, tamen nunquam eveniet, quia cauſa ſuperior ſemper præſervat. Quod ſi dicas ſaltem in poteſtate voluntatis eſſe ut eveniat; reſpondet Doctor, quod non ideò eſt minus beata, ſi in poteſtate eius ſit, quod eveniat, quod tamen nunquam evenit; & ideò nunquam eveniet, quia voluntas divina ſemper prævenit.

398 Hæc Scotus ibidem, quæ ad verbum referre volui, ut conſtet de mente eius, Beatum etiam in ipſo fruitionis actu talem habere libertatem & cum tali neceſſitate annexam, quæ ad meritum ſufficeret, ſi aliæ conditiones non deeſſent, ſimpliciter & abſolutè loquendo: alioquin regulariter loquendo ex lege iam ſtatuta requiritur libertas, & potentia proxima ad agendum, & non agendum, ac plenus, & expeditus libertatis uſus, ut quis mereri dicatur; nec ſufficit libertas remota iam declarata, niſi cum ſpeciali privilegio, & diſpenſatione, ſicut factum eſt in Chriſto ob rationem allatam, quæ non currit in cæteris Beatis; hæc ergo remota libertas iam declarata, & cum intrinſeca contingentia connexa ſufficit ad ſalvandas auctoritates allatas, quod *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, & ſimiles; quia ut inquit Doctor, hæc ſufficit abſolutè loquendo, ut effectus dicatur ſimpliciter contingens, quia contingentia intrinſeca potentiæ, & actus non tollitur per neceſſitatem extrinſecam, qualis intervenit in propoſito ex denegatione divini concurſus ad oppoſitum, ſed tantùm per neceſſitatem intrinſecam; quod eo vel maximè in propoſito de Chriſto aſſerendum eſt, quia pro ipſo intervenit ſpeciale privilegium, & diſpenſatio; cùm enim fuerit ſimul, & ſemel Viator, & comprehenſor, debuit tanquam comprehenſor impeccabilis eſſe, & tanquam Viator adhuc mereri poſſe; atque ità ſpeciali privilegio factum eſt, ut remota libertas prædeclarata, quæ nec Beatis ſufficit ad merendum, nec nobis Viatoribus, ſufficeret Chriſto; Verùm eſt tamen auctoritatem illam Joan. 10. alio adhuc modo explicari à Scoto 3. *diſt.* 16. *quæſt.* 2. *ad* 2. ut ibi videri poteſt, non quia hæc univerſalis expoſitio iam data ex ipſius doctrina non ſit ſufficiens etiam pro huius auctoritatis explicatione; ſed quia materia, quam ibi tractat de paſſibilitate, & morte Corporis Chriſti illam ſpecialem adhuc doctrinam poſtulabat.

Ad Confirmationem pariter diſtinguendum eſt aſſumptum 399
non eſſe voluntatem præcepti, & obedientiæ capacem, niſi libera fuit libertate proxima, vel ſaltem remota: tùm quia idem etiam argumentum poſſet contra Suarez urgeri, ponentem in Chriſto impeccabilitatem moralem, ſic enim pariter argui poſſet præceptum de re, ad quam quis determinaretur moraliter, eſſe fruſtraneum, quandoquidem ſine eo poneretur adhuc res illa; ergo ſi Chriſtus determinabatur moraliter ad habendum actum præceptum, fruſtrà præcipiebantur ipſi; ſicut ergo ait ipſe in tali caſu præceptum non eſſe fruſtrà quia præceptum obedientiæ, etiam quando non eſt periculum tranſgreſſionis auget bonitatem actus, & meritum; ità nos quoque dicemus in propoſito: utiliter enim adhuc præcipitur actus, ut habeat illam obedientiæ perfectionem, quàm alias non haberet ſine præcepto, & alacriori animo exequatur, quam alias fieret, tum tandem quia Scotus 3. *diſt.* 37. ad ultimum docet in ſtatu beatitudinis fore ſummam obſervantiam præceptorum naturalium: in quo tamen ſtatu nullum eſt tranſgreſſionis periculum nec phyſicum, nec morale. Addit non incongruè Bellutus *loco citato*, præceptum de ſua ratione formali dicere determinationem volutatis Superioris ad actum aliquem eliciendum, ſecundariò verò, & ex conſequenti comminationem, quando ſubditus poteſt præceptum tranſgredi; Chriſtus itaque fuit præcepti capax ex primo capite, ad hoc enim ſufficit, ut voluntas ſit inferior, quæ aliam ſuperiorem, tanquam regulam ſui ipſius reſpicere teneatur, ut verò includit etiam vim coactivam, requiritur in ſubdito potentia proxima tranſgrediendi, & ex hoc capite Chriſtus capax præcepti non fuit. Hinc Patres rectè in nobis arguunt libertatem proximam ex impoſitione præcepti, quia præceptum reſpectu noſtri utrumque includit; non enim debet imponi pœna reſpectu actus, quem non poſſum non elicere. Et hinc tandem rectè damnantur illi Heretici, ac etiam quia modus merendi in nobis Viatoribus non eſt ex diſpenſatione, & ſpeciali privilegio, ut fuit in Chriſto, qui ſimul comprehenſor erat, & Viator, ſed iuxtà ordinariam merendi methodum, ex communi lege ſtatutam, ſecundum quam ad meritum proxima libertas requiritur, ac expeditur libertatis uſus.

Tertiò arguitur, quia hic modus libertatem in Chriſto ad 400
meritum ſufficientem non ſaluat, nam liber dicitur is, qui non tantum ratione unius, ſed etiam ratione omnium principiorum, quibus intrinſecè ad operandum conſtituitur, poteſt agere, & non agere; nam ſive ratione vnius, ſive ratione alterius principii, quo ad operandum intrinſecè conſtituitur, ità ad unum determinetur, ut nequeat oppoſitum agere, re vera liber non eſt, quia liberum conſtituitur ex toto principio intrinſeco, quod debet agere; licet igitur humana Chriſti voluntas non eſſet ratione principii intrinſeci determinata ad actum præceptum, quia tamen determinata eſſet ratione principii extrinſeci, nempè concurſus Dei in actu primo, qui non eſt indifferens, ſed determinatus ad alteram partem, dici re vera non poſſet in ſervando præcepto libera; ſicut non diceretur liber ad fugam, qui licet non eſſet compedibus ligatus, haberet tamen circa ſe milites, qui nunquam illum ad fugam proripiendam permitterent.

Reſpondeo argumentum probare tantum, Chriſtum non 401
habuiſſe libertatem requiſitam ad meritum puri Viatoris; ad hoc enim requiritur libertas proxima, & plenus ac expe-

ditus libertatis uſus; at non probat non habuiſſe libertatem ſufficientem ad meritum hominis Viatoris, & comprehenſoris ſimul ex peculiari privilegio, ac diſpenſatione divina, ut nimirum ex una parte innocens, & impeccabilis eſſet, ſicut decebat Mediatorem Dei, & hominum; & ex alia parte adhuc pro nobis mereri poſſet; ſiquidem ad meritum huiuſmodi Mediatoris, & Redemptoris ſufficit ſola libertas intrinſeca, & remota; hæc enim re vera ſufficit, ut eius voluntas in ſervandis præceptis non diceretur determinata omninò ad alteram partem; quamvis enim determinata eſſet ratione principii extrinſeci ex defectu concurſus parati ad utrumlibet, dicebatur tamen adhuc indeterminata ratione principii intrinſeci, à qua indeterminatione libertas actus principaliter attenditur; quod eodem exemplo in argumento allato ſuaderi poteſt, quamvis enim in carcere conſtitutus, licet non eſſet compedibus ligatus, non diceretur liber ad fugam, adhuc tamen diceretur magis liber, quam ſi eſſet quoque compedibus ligatus, in tali enim caſu omnimoda utiq; libertate careret ad fugam; at quando ſola militum cuſtodia tenetur incluſus, adhuc ex parte ſui aliquam intelligitur habere libertatem evadendi; quatenus potentiam motivam non habet impeditam.

402 Quartò tandem urgetur argumentum commune, & militans in omni ſententia: vel voluntas Chriſti potuit non implere præcepta, vel non potuit; ſi potuit, ergo potuit peccare, & ſic non erat impeccabilis ſic, ut potentia ad peccatum tolleretur; ſi non potuit; ergò non adfuit in ea impletione libertas, atque ideò neque meritum.

Reſpondeo cum diſtinctione ex allata doctrina deſumpta, potuit non implere præcepta potentia remota, non potuit potentia proxima; ex hoc ſecundo capite reddebatur impeccabilis, & quidem tali impeccabilitate, quæ potentiam phyſicam proximam peccandi excluderet; ex primo verò capite habebat libertatem ad meritum ſufficientem, quæ licet exigua libertas in nobis puris Viatoribus non ſufficeret ad meritum, ſufficiebat tamen in Chriſto ex peculiari privilegio, & ſpeciali diſpenſatione; Et planè ſicut Deus cum Chriſto diſpenſavit in ea conditione ad meritum regulariter requiſita, quod merens non ſit comprehenſor, ſed viator; ita etiam æquè benè poterat, in alia quoque conditione diſpenſare, quod debeat eſſe actus perfectè, & plenè liber, hoc eſt, elicitus, cum pleno, & expedito libertatis uſu; Dicens diſparem eſſe rationem de una, & altera conditione; nam quod merens ſit purus Viator eſt conditio ad meritum requiſita, non ex natura rei, ſed ex ſola Dei lege iam ſtatuta, nam de potentia Dei abſoluta poſſet quoque comprehenſor mereri per ſuos actus; at libertas eſt conditio ex natura rei requiſita, ac adeò ad meritum neceſſaria, ut nec de potentia Dei abſoluta poſſit eſſe opus meritorium ſine ea, ut dictum eſt *qu.* 3. huius *diſp. n.* 62.

403 Reſpondeo, quando dicitur libertas eſſe conditio ex natura rei ad meritum requiſita, hoc eſſe intelligendum de libertate voluntati intrinſeca, quæ conſiſtit in potentia, & facultate ad agendum, & non agendum, quam libertatem habuit voluntas Chriſti etiam circà actus præceptos; non autem neceſſario intelligendum eſt de libertate proxima, quæ importat expeditum libertatis uſum, & dicit ordinem non tantùm ad principium intrinſecum actiuum ex ſe indeterminatum ad agendum, ſed etiam ad cætera prærequiſita extrinſeca, & præſertim ad concurſum Dei paratum, qui omninò neceſſarius eſt ad expeditum libertatis uſum; non, inquam, intelligitur dictum illud de hac proxima libertate, quia ſub hac reduplicatione non eſt eſſentialis, & intrinſeca voluntati, ſed accidentalis, & extrinſeca, cum ſine ea reperiri poſſit, ut evenit in beatis circa actum beatificum; undè quamvis regulariter loquendo hæc etiam proxima libertas requiratur ad merendum, nec ſufficiat ſola libertas remota, ut Patres, & Concilia docent contra quoſdam Hæreticos; nihilominus in Chriſto Domino ex ſpeciali privilegio, ac diſpenſatione, ſola libertas remota ſufficiens fuit ad meritum, ut hoc modo conciliaretur in ipſo libertas ad merendum cum ejus impeccabilitate, non tantùm morali, ſed etiam phyſica, quod totum inſinuavit Doctor 3. *diſt.* 18. *qu. unic. D.* & *diſt.* 12. cùm dixit, quod poteſtas merendi in Chriſto ſtat cum beatitudine diſpenſativè, & diſpenſatio ſtat in hoc, quod ubi in nobis ad poteſtatem merendi requiritur proxima libertas, in Chriſto ſuffecit remota.

QUÆSTIO DECIMA.

Quibus actibus Chriſtus meruerit.

PLura ſibi Chriſtum meruiſſe, & adhuc plura nobis certum 404
eſt, ſicut etiam quod meruerit per omnes actus bonos moraliter, quos elicuit, quia nihil impedit, quo minus quicunque talis ab ipſo elicitus eſſet meritorius, ut conſtat ex dictis *quæſt. præced.* & quidem de condigno reſpectu præmii cujuſcunque ad quod Chriſtus ipſum referebat; modò difficultas eſt an meruerit per actum amoris præſertim beatifici. Vaſquez *diſp.* 64. *cap.* 3. negat abſolutè Chriſtum meruiſſe per actum dilectionis Dei beatificum, præter quem alium actum amoris in Chriſto non agnoſcit, propter carentiam libertatis; Alii verò affirmant, ſed ut ſalvent libertatem in eo actu, variè diſtinguunt, dicentes eundem actum dilectionis beatificæ in Chriſto fuiſſe ſimul ex una parte neceſſarium, ex alia verò parte liberum, & ſic meritorium, quod variis modis explicare nituntur. Alii tandem diſtinguunt de actu dilectionis Dei, quod alter ſit beatificus procedens à ſciētia beata, & hunc ajunt non eſſe meritorium, quia neceſſarium non liberum; alter ſit ſupernaturalis à ſciētia infuſa proveniens, qui fuit liber, & conſequenter meritorius; ita Recentiores paſſim Suarez, Valentia, Tannerus, Lugo, Averſa, Bernal, Alvarez, Meracius, Paſqualigus, Raguſa, Amicus, Arriaga, Orlandus, & alii reputantes abſurdum, Chriſtum non meruiſſe per ullum actum amoris erga Deum, qui eſt inter omnes nobiliſſimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Chriſtum meruiſſe, & præſertim per actum amoris erga Deum.

PRo reſolutione quæſtionis. Primò dicendum eſt Chriſtum à 405
primo ſuæ conceptionis inſtanti cæpiſſe mereri, quia ex tunc habuit perfectiſſimum uſum rationis, & fuerunt cæteræ conditiones ad meritum requiſitæ, quod clarè deducitur ex illo ad Hebræos 10. *ideò ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*, & quidem meruiſſe per actus omnium virtutum, quos exercuit etiam præceptos; quamvis enim diſputent Theologi, an ad actum meritorium requiratur relatio ſaltem virtualis in Deum, ut finem ſupernaturalem, an verò ſufficiat tantùm habitualis, hoc eſt, quod actus ſit ex ſe referibilis ad Deum, ut ad finem ſupernaturalem, & iuxtà inclinationem gratiæ elicitus, de quo fusè dixi *lib.* 2. *diſp.* 7. *de Iuſtificatione qu.* 9. hæc tamen difficultas locum in Chriſto habere nequit; cùm enim debeamus illi meritum tribuere perfectiori modo, quo poſſit, dicendum eſt quemlibet actum non ſolùm virtualiter in Deum retuliſſe, ſed etiam actualiter, & ex motivo amoris, quo Deum proſequebatur, omnia alia opera bona exercuiſſe; Ex quo etiam deducendum eſt omnes ejus actus fuiſſe ſupernaturales, ſicut ad actum meritorium requiritur, ſiquidem dùm ex motivo virtutis operabatur, facillimum erat ei operari ex motivo ſupernaturali, & exercendo actum ſupernaturalem; quarè non eſt cur dici debeat meruiſſe per ullum actum naturalem, ſed potius dici debet ſemper, & in omni actu meruiſſe quia ſemper exercebat actum ſupernaturalem, ut notat Averſa *cit.*

Secundò, quia inter actus ipſos ſupernaturales virtutum in- 406
fuſarum præcipuè conſideratur actus charitatis, & dilectionis erga Deum, qui ſanè eſt excellentiſſimus omnum, dicendum eſt Chriſtum per talem quoque actum meruiſſe, quod probat Doctor 3. *diſt.* 18. *qu. unic.* §. *in iſta quæſtione*, quia primum obiectum, circà quod aliquis meretur primò, eſt ipſe Deus, ſecundum quod affectione juſtitiæ, vult Deo bonum, ſcilicet, eſſe, & benè eſſe, ſcilicet, juſtum, ſapientem, &c. meritum enim eſt ordinatus motus circa Deum volendo ipſi bonum; quapropter meritum dicitur reperiri in portione ſuperiori, & radicem omnis meriti eſſe in voluntate ſecundum affectionem iuſtitiæ, non ſecundum affectionem commodi, ut ibi latè tradit Doctor; ſed actus iſte eſt charitatis, & dilectionis; ergo Chriſtus tali actu meruit. Tùm quia omnium virtutum princeps eſt charitas, undè ejus opus eſt inter omnes virtutes perfectiſſimum; ergò ſi actus aliarum virtutum in Chriſto fuerunt meritorii, non erit hoc charitati denegandum, alioquin Chriſtus excellentiori actu meritorio caruiſſet; Tùm etiam quia ex hoc præſertim motivo, nempè charitatis, alia etiam opera ſua frequentiſſimè exercebat, ſcilicet, ex amore, & dilectione Dei, & proximi; operabatur enim & patiebatur ex inſigni ſua dilectione erga Deum, quem glorificare intendebat, & charitate ergà homines, quos redimere venerat, quod ipſe expreſſit Ioan. 14. *ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*, & indicavit etiam Apoſt. 2. Corinth. 3. *charitas Chriſti urget nos æſtimantes hoc*,

hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, quarè Patres charitatem ipſam Chriſti erga nos plerumque exaggerare ſolent, ut obligent, & inducant nos ad illum viciſſim amandum; ergo negari non poteſt, Chriſtum per actum amoris in Deum, & proximum meruiſſe, alioquin virtute talis actus nihil ei deberemus.

407 Reſpondet Morandus *tract. 1. de Incarnatione q.* 42. hoc probare ſolùm amorem Chriſti in Deum radicaliter dici poſſe meritorium, quatenus alia virtutum opera exercuit ex motivo amoris, quo Deum diligebat; formaliter verò ſolùm per actus aliarum virtutum merebat; quatenus erant omnes quaſi effectus amoris Dei, & in hoc ſenſu ait, teſtimonia Scripturæ, & Patrum tribuere rationem meriti actui dilectionis Chriſti erga Deum. Cæterum rationes allegatæ convincunt actum dilectionis Dei in Chriſto meritorium fuiſſe, non tantùm radicaliter, ſed etiam formaliter, durum enim omninò eſt negare, Chriſtum formaliter meruiſſe per tale genus actus, quod eſt inter omnes virtutes perfectiſſimum. Tùm quia univerſaliter loquendo actus imperati participant formaliter bonitatem, & meritum actus imperantis; ergo ſi actus cæterarum virtutum in Chriſto imperabantur ab actu dilectionis eius ergà Deum, bonitatem propriam meritoriam in eos derivant, alioquin non magis meritorii fuiſſent eo quod ex motivo charitatis procederent, quàm ex alio motivo; ergo actus dilectionis Dei in Chriſto non fuit meritorius tantùm radicaliter, verum etiam formaliter.

408 Tertiò, diſtinctio illa pro ſolutione præſentis difficultatis communiter à Recentioribus aſſignata de duplici actu dilectionis Dei, quod alter ſit beatificus procedens à ſcientia beata, quem dicunt non eſſe meritorium, quia eſt neceſſarius; alter verò ſupernaturalis, & theologicus à ſcientia infuſa proveniens, quem dicunt eſſe meritorium, quia fuit liber; hæc, inquam, diſtinctio ad ſolutionem propoſitæ difficultatis non multum iuvare videtur; quia vel ſola beatifica dilectio in Chriſto eſt admittenda; vel ſi alia quoque theologica admittitur à ſcientia infuſa procedens, de hac quoque eadem recurrit difficultas, quæ urget de beatifica; ut notat Bellutus *diſp* 13. *q* 1. primum quidem ſatis clarè deducitur ex Scoto 3. *diſt.* 31. docent charitatem in patria non evacuari, ut fidem, & ſpem, quia ex ſe non tendit determinatè in actum imperfectum dilectionis Dei abſentis, qualem habemus in via, ſed in dilectionem Dei in ſe præſcindendo ab actu perfecto, & imperfecto, quibus innuit Doctor, actum dilectionis Dei in via imperfectum non manere in patria; Nec obſtat, quod intellectus poſſit duplicem eiuſdem obiecti habere cognitionem intuitivam, ſcilicet, & abſtractivam; alia namque eſt ratio quoad hoc de intellectu, & voluntate, hæc enim cùm ſit potentia appetitiva ex ſe fertur in obiectum, ut ſummè uniatur, & copuletur obiecto, à quo trahitur, & quantum poteſt; ex quo fit; quod ſi ſemel tenet obiectum perfectiſſimo modo, ut eſt præſens, non curat de tentione imperfecta eiuſdem obiecti, ut abſentis, & in ſpecie relucentis, ut evenit de intellectu. Tùm quia rationes, quæ ſuadent, poſſe geminari in intellectu duplicem cognitionem reſpectu eiuſdem obiecti intuitivam, ſcilicet, & abſtractivam, non ità concludunt de amore, quandoquidem amor imperfectus abſorbetur à ſuperveniente perfectiori, quando circa idem obiectum ſub eadem ratione verſatur, ut experientia patet; non ſic cognitiones, niſi ſpecialem inter ſe habeant repugnantiam, ut conſtat ex dictis *diſp.* 6. *de Anima q* 11. *n.* 326. Tùm denique quia nihil poteſt Chriſto Domino oſtendere in Deo amabile ſcientia infuſa, quod non noverit per ſcientiam beatam; ergò hæc ſub omni ratione determinavit amorem, itaut novo amori locus non ſuperſit.

Quod ſi contendas cum Recentioribus citatis, geminari debere in voluntate Chriſti amorem Dei beatificum, & theologicum, ſicut in intellectu duplex geminatur cognitio reſpectu Dei, alia intuitiva, & beata, alia theologica, & per ſpecies infuſas; non adhuc per hoc, ut dicebam, totaliter enervatur propoſita difficultas, quia nec amor ille theologicus fuiſſet in Chriſto liber omninò, quia ad hunc eliciendum habebat præceptum, ut Viator, quamvis enim in nobis præcepta poſitiva, quando urgent, non obligent pro inſtanti, ſed cum aliqua temporis latitudine ob noſtram imperfectionem in operando dependenter à ſenſibus, tamen in Angelis, qui in inſtanti poſſunt obiectum apprehendere, illudque ſtatim diligere, vel refutare, præceptum poſitivum obligat pro determinato inſtanti, qua ratione inſtantia illis aſſignata ad merendum morulæ à Theologis appellantur; quoniam ergo Chriſtus in inſtanti conceptionis ſuę perfectiſſimum habuit rationis uſum, & perfectiſſimam Dei cognitionem, tenebatur eum diligere ſuper omnia, nec actum uſum dilectionis theologicæ ommittere poterat pro eo inſtanti, aut etiam tempore determinato, pro quo præceptum talis dilectionis urgebat, ergo de hoc etiam amore eadem recurrit difficultas, quæ de beatifico, quod non ſit liber quantum ſufficit ad rationem meriti.

409 Quartò his de cauſis alii ſolam beatificam dilectionem ponunt in Chriſto, & ut ſalvent libertatem in ipſa, quantum ſufficit ad merendum, variè diſtinguunt: Quidam Thomiſtæ, ut Alvarez, & Cabrera dicunt, eundem numero amorem eſſe neceſſarium, prout verſatur primò circa Deum: eſſe tamen liberum, prout tendit ex Deo amato neceſſariò ad ipſas creaturas, ſicut in ipſo Deo idem amoris actus eſt neceſſarius circa ſeipſum, liber verò prout fertur in creaturam, ſic igitur in Chriſto idem amor fuit neceſſarius, quatenus Deum attingit, fuit liber quatenus extendebatur ad proximum. Sed Contrà, quia ſic dicendo non ſalvatur Chriſtum meruiſſe per actum dilectionis Dei, qui eſt actus inter omnes excellentiſſimus, & ſupremus charitatis, ut eſt theologica virtus, ut hic contendimus, ſed ſolùm per dilectionem proximi, præterquamquod non videtur, quomodo uno, ac eodem numero actu penitus ſimplici, ac indiviſibili poſſit Deus ſimul attingi, & proximus, & hic quidem liberè, ille verò neceſſariò, neque in hoc comparandus videtur actus humanus voluntatis Chriſti cum actu divinæ voluntatis, qui ob infinitatem ſuam dicitur neceſſariò unus, & idem numero terminari ad divinam eſſentiam, liberè verò, & contingenter ad creaturas. Hac de cauſa alii, actus huiuſmodi plurificant, itaut fuerit alia dilectio Dei, alia proximi, & dicunt Chriſtum non per dilectionem beatam circà Deum in ſe meruiſſe, quia erat actus omninò neceſſarius, utpotè neceſſariò ortus ex viſione beata, ſed per dilectionem aliam circa creaturas, vel relucentes in Verbo, vel in ſpeciebus infuſis, quem dicendi modum ſequitur Rada *controv.* 12. *de Merito Chriſti art.* 1. *concluſ* 3. Gallus in 3. *diſtinct.* 18. *qu. unic. cap.* 3. & alii Scotiſtæ, utpotè à Scoto ibidem inſinuatum in ſolutione ad 2. principale, ubi ait, huiuſmodi dilectionem proximi potuiſſe eſſe meritoriam, ut conſequitur actum beatificum, ſeù ſcientiam beatam intellectus, quia anima Chriſti videbat in Verbo etiam proximos, ac eorum neceſſitates, ſicut & omnia alia, ex cuius viſionis vi potuit amare ex charitate proximos, & eorum miſereri, qui actus erat bonus, & non neceſſariò elicitus, ſed liberè, atque ideò meritorius, quia erat actus Viatoris, non verò comprehenſoris, ut eſt dilectio Dei beatifica.

410 Sed rurſus obſtat, quod etiam iuxtà hunc dicendi modum non ſalvatur, Chriſtum meruiſſe per actum charitatis excellentiſſimum, qui eſt amor ipſius Dei, ſed tantùm per dilectionem proximi: Et quamvis Doctor *diſt.* 18. in ſolutione ſecundi principalis dicat Chriſtum meruiſſe per dilectionem proximi, non ob id negat meruiſſe quoque per dilectionem Dei, aſſerendo enim, quod Chriſtus meruerit ſecundum portionem ſuperiorem ait meruiſſe duobus actibus dilectionis, uno circa Deum in ſe viſum, altero circa creaturas in Verbo relucentes, ut ipſe quoque Gallus *cap.* 7. *nu.* 81. & plane abſolutè negare non poterat, Chriſtum meruiſſe quoque per actum dilectionis beatificum, quo Deum clarè viſum, tanquam ſupremum bonum, ac finem ultimum ſibi propoſitum diligebat, cùm id ſuperius in corpore quæſtionis §. *in iſta quæſtione* expreſsè aſſeruiſſet, Nec obſtat, quod ſecundum huiuſmodi actum fuerit comprehenſor, nec à beatis diſtinctus, quia ut inquit Doctor ibidem, cum conditiones habuerit Viatoris, quas Beati non habent, rationabile fuit, quod omnes eius actus, & præſertim excellentiores magis ad meritum acceptarentur, quàm aliorum Beatorum. Sed inquit Averſa, quod licet ob hanc peculiarem rationem admitti debeat in Chriſto, quod ſimul erat beatus, & merebatur, non tamen ob id admitti debet, quod per eundem quoque realiter actum eſſet beatus, & mereretur, ſed ſaltem in ipſis actibus beatificis, & meritoriis debet ſervari diſtinctio, quare ad defendendum Chriſtum per actum dilectionis Dei meruiſſe, & non tantùm proximi, debet neceſſariò admitti diſtinctio illius duplicis dilectionis Dei, quarum una procedat ex ſcientia beata, & dicitur beatifica, & alia ex ſcientia infuſa, quę dicitur theologica, & per hanc meruiſſe, non per illam, utpotè, quæ omninò neceſſariò ex viſione Dei oriebatur.

411 Cæterum neque hæc inſtantia urget, ſicut enim concedit Averſa, quod catholicè negari nequit, Chriſtum ob ſpecialem rationem, ac diſpenſationem ſimul fuiſſe beatum, & meruiſſe, quatenus erat ſimul comprehenſor, & Viator, quod tamen aliis Beatis non convenit, ita pariter concedi poteſt, quod per eundem actum eſſet beatus, ac mereretur, licet regulariter loquendo beatitudo, & meritum ſint res diverſi ordinis, præſertim quia inquit Doctor *cit. lit. D.* non includere contradictionem actum beatificum Michaelis, vel alterius beati poſſe acceptari, ut meritum retributione dignum. Tùm quia diſtinctio illa duplicis Dei dilectionis beatificæ, & theologicæ ex ſcientia beata, & infuſa procedentis multis non placet ob rationes allatas *nu.* 408. Tùm quia de ipſa quoque dilectione Dei ex ſcientia infuſa procedente eadem militat difficultas, quod libertatem non habeat ad meritum ſufficientem, ut conſtat ex dictis *num.* 409. Quod ſi dicas cum Suarez, Valentia, Tannero,

ro, & aliis, hunc amorem fuiſſe liberum, quia ſicut Chriſtus ſuo libito illa ſcientia infuſa circa Deum poterat non uti, ità etiam poterat non habere amorem ex illa derivatum, & per hunc potuiſſe mereri. Contrà quia licet Chriſtus potuerit non habere amorem ex ſcientia infuſa derivatum, adhuc tamen certum eſt non potuiſſe non diligere Deũ; quod autem diligat uno, vel duplici actu, parum videtur ad meritum referre, ut inquit Lugo, ſicut ſi Chriſtus non poſſet non acceptare mortem, parum referret ad meritum, quod acceptaret eam duplici actu, nec enim ob id diceretur liberè mori, quantum ſufficit ad meritum.

413 Quintò, hac de cauſa Lugo *diſp.* 27. *cit. ſect.* 1. inquit, viam faciliorem ſalvandi meritum in dilectione Chriſti ergà Deum eſſe dicendo, actum dilectionis ortum etiam ex viſione beata terminatum fuiſſe neceſſariò ad Deum, & ad bona ejus intrinſeca; liberè verò ad bona extrinſeca gloriæ, & honoris divini, quarè prout terminatur ad hæc potuit eſſe neceſſarius, licet non prout terminatur ad illa; quem dicendi modum, inquit jam pridem fuiſſe Valentiæ, Salas, & aliorum; Sed ſicut refutando præcedentem dicendi modum Thomiſtarum dicebamus, longè melius eſſe aſſerere Chriſtum meruiſſe, non ſolùm per dilectionem proximi, ſed multò magis per dilectionem ipſius Dei, quæ eſt actus longè excellentior, ita in propoſito dico, melius eſſe aſſerere, Chriſtum non ſolùm meruiſſe attingendo bona extrinſeca Dei ſed multò magis bona intrinſeca, quæ ſunt divina, & in infinitum ſublimiora, ut inquit Averſa. Tum quia neceſſitas in Beatis ad actus beatificos eſt determinata ad tales certos actus in ſpecie, & in individuo, ſicut ergo beatus eſt neceſſariò determinatus ad talem viſionis actum, itaut non ſit in poteſtate eius exercere unum viſionis actum, quo videret ſolum Deum, aut alium, quo videret ſimul aliàs creaturas; vel exercere unum actum, quo attingeret ſola bona Dei intrinſeca, aut alium, quo attingeret ſimul extrinſeca; ità pariter in propoſito de actu dilectionis beatificæ eſt diſcurrendum; non ergo ex hoc capite ſufficienter ſaluatur in actu dilectionis Dei libertas ad meritum ſufficiens.

ARTICULUS SECUNDUS.

Alia placita examinantur, & quæſtio de mente Scoti reſoluitur.

414 SExtò dixerunt alii ad ſaluandam rationem meriti in dilectione Chriſti ergà Deum, ac etiam bona eius intrinſeca, quod licet ex vi beatæ viſionis determinaretur Chriſti voluntas ad Deum diligendum neceſſariò, ac etiam eius intrinſeca bona, non tamen ad diligendum hoc potius, quàm illo actu; atque ita fuiſſe liberum ad hunc, vel illum amorem Dei, & ſic potuiſſe mereri liberè ſe determinando ad hunc potius, quàm ad illum. Sed id quoque reiicitur ex nunc dictis, quia neceſſitas in Beatis ad actus beatificos eſt determinata ad tales certos actus in ſpecie, & in individuo; undè non mihi probatur, quod inquit Lugo *cit.* quod cùm communiter dici ſolet, actum amoris beatifici non eſſe liberum, ſed neceſſarium, non debet ita intelligi, ut beatus ratione viſionis neceſſitetur ad habendum hunc numero actum amoris; ſed ſolùm quod ratione viſionis neceſſitatur ad amandum Deum aliquo actu, ſive volendo ei ſolùm bona intrinſeca, ſive volendo etiam bona extrinſeca, quæ poteſt dici neceſſitas quoad ſpeciem, ſed non quoad individuationem actus; Non, inquam, id placet, quia ut dixi in *Phyſ. diſp.* 8. *q.* 2. *art.* 3. libertas non attenditur, neque conſiſtit in indifferentia ad eliciendum hunc, vel illum actum in individuo, nam cauſæ ſecundæ etiam liberæ non ſe determinant ad effectum in individuo, ſed determinantur vel à circumſtantiis extrinſecis, vel verius à cauſa prima, ut ibidem oſtendi. Tùm quia iam dixi *n.* 355. libertatem ad ſolum individuum cum neceſſitate phyſica ad ſpeciem ad meritum non ſufficere, quod hic evidenter probo, nam in morali æſtimatione idem omninò cenſetur, quod unica viſione per horam obiectum delectabile intuearis, vel pluribus numero diſtinctis, & ſi alicui debeas unum aureum, parum refert, quod illi des, hunc potius, quàm illum, cùm tenearis unum dare ex illis, quicunque ille ſit, & ratio eſt, quia in ordine ad perſonam recipientem vel ſolutionem debiti, vel eleemoſinam moraliter loquendo idem prorſus eſt, quod ei detur hoc individuum numero donum, vel aureus hic debitus potius, quàm ille; neque apud Deum plus mereris, quod pauperi dederis hunc potius, quàm illum.

415 Reſpondent, hanc doctrinam verificari, quando actus in individuo ſunt omninò ſimiles, nec unus ſit perfectior, vel intenſior alio, falſam verò eſſe in tali caſu, quia actus intenſior eſſet laudabilior alio, & magis mertorius ratione talis exceſſus; dicunt itaque amorem ipſum beatificum in Chriſto fuiſſe liberum quoad circumſtantias intenſionis, & remiſſionis, ità Moncæus *diſp.* 9. *cap.* 11. ſic etiam inquit Lugo, beatum ratione viſionis habere neceſſitatem diligendi Deum quoad bona eius intrinſeca aliquo actu; at quoad bona extrinſeca habere libertatem; undè ſi utraque velit Deo, ex hoc capite operatur liberè, & laudabiliter, quia potuit minus diligere Deum volendo illi bona tantùm intrinſeca, undè laudi tribuitur beato exceſſus ille, quo hic actus ſuperat alium, quem poſſet, ac deberet habere circa ſola bona intrinſeca Dei. Sed Contrà, quia ſi neceſſitas in beatis ad actus beatificos eſt determinata ad tales certos actus in ſpecie, & individuo, ut ſuprà dictum eſt, locum non habet hæc reſponſio, quod actus beatificus ſit liber beato quoad circumſtantias intenſionis, & remiſſionis, & quoad tendentiam in bona intrinſeca, vel etiam extrinſeca Dei, nam quoad hæc omnia determinatus erit amor beati ex vi beatificæ viſionis, vel divini concurſus ad talem, & tantum actum determinatè aſſignati. Tùm quia hac etiam reſponſione admiſſa, ſalvatur libertas ſolùm in amore Chriſti beatifico erga Deum quoad circumſtantias, non autem quoad ſubſtantiam actus; & ſic non ſaluatur locus merito, niſi ſecundum exceſſum unius actus ſuprà alium; quarè amor Chriſti ergà Deum nunquam fuit meritorius quoad ſubſtantiam, & hoc eſt, quod in præſenti quæſtione inculcamus, eſſe abſurdum, quod Chriſtus caruerit merito charitatis quoad ſubſtantiam, quod conſiſtit in dilectione Dei; Sicut ergo in præcedenti quæſtione dicebamus contrà Vaſquez, & alios, quod etiamſi fuerit Chriſtus liber ad diverſa motiva acceptandi mortem, & actus inæquales eliciendos, caſu quo elegiſſet perfectiſſimum ex illis, potuiſſe quidem mereri ratione exceſſus ejus actus, quoad totam tamen ſubſtantiam non potuiſſe illum actum eſſe meritorium, nec eo caſu teneri nos Chriſto gratias agere, quod mortuus ſit pro nobis, quia ſimpliciter mortem vitare non poterat, ſed purè, & præciſe propter circumſtantiam ipſi liberam, & nobis utiliorem, quam elegit; ità eodem modo in propoſito de merito Chriſti diſcurrendum eſſet quoad ſupremum charitatis actum, qui eſt dilectio Dei.

416 Septimò, Poncius ex noſtris *diſp.* 38. *q. ult.* ut cum Scoto defendat Chriſtum meruiſſe per actum amoris beatificum; inquit, talem actum fuiſſe liberum, quia quamvis voluntas videntis intuitivè Deum, ſicut vidit anima Chriſti, neceſſitetur moraliter ad Deum amandum, non tamen phyſicè; cùm enim voluntas ſit potentia libera ex ſe, nec cognitio, aut obiectum cognitum ullo modo determinet, niſi per modum cauſæ formalis ſenſibiliter allicientis; nec Deus licet ſit infinitus, allicere poſſit infinito modo, cùm non alliciat, niſi ſecundum quod cognoſcitur, non cognoſcitur verò niſi cognitione finita, omnino non apparet, quomodo voluntas poſſit neceſſitari phyſicè ad amorem Dei intuitivè viſi.

Sed hic etiam dicendi modus refellitur ex dictis *numer.* 384. contrà eundem Auctorem, ubi oſtendi neceſſitatem beati Deum videntis ad eum amandum, non tantùm eſſe moralem, ſed etiam phyſicam ex Scoto 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 6. §. *dico ergo*, quamvis enim verum ſit beatum non phyſicè neceſſitari, ad actum amoris ex vi beatificæ viſionis eo modo, quo dicere ſolent Thomiſtę, quod infinitum bonum clarè, ac intuitivè viſum voluntatem neceſſitat ad amorem ſui, etiam quoad exercitium, ut oſtendi *diſp.* 7. *de Anima quæſt.* 6. *art.* 1. *numer.* 145. ex Scoto 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 4. quia Deus contingenter agit ad extrà; ergo nec in ratione obiecti beatifici poteſt voluntatem neceſſitare, & rapere ad amorem, itaut quantum eſt ex ſe ab eo nequeat abſtinere ex intrinſeca indifferentia, quam habet ad agendum, & non agendum circà quodcunque obiectum. Tùm quia licet ſit infinitum bonum, non tamen cognoſcitur tale niſi cognitione finita, & ideò non niſi finito modo voluntatem allicere poteſt, ut ait ipſe Poncius; Quamvis, inquam, hoc totum verum ſit, adhuc tamen verum eſt etiam, beatum neceſſitari ad amorem beatificum per voluntatem Dei prævenientem illius voluntatem, ut ſemper continuet actum fruendi, adeout nunquam poſſit potentiam ſuam remotam non fruendi, vel peccandi, reducere ad actum, ſiquidem nunquam ſecunda cauſa præventa à cauſa ſuperiori agente ad unum oppoſitum poteſt potentia propinqua exire in aliud oppoſitum, & hoc pacto inquit Doctor *cit.* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 6. *G.* voluntatem beati neceſſitari ad actum amoris beatifici, quæ quidem neceſſitas, ut patet, non eſt tantam moralis, ſed etiam phyſica, cùm proveniat ex defectu alicuius principii neceſſariò requiſiti ad expeditum libertatis uſum, qualis eſt concurſus Dei paratus ad utrumlibet ex Scoto *loc. cit.* Alio adhuc modo conatus eſt Hurtadus *diſput.* 63. *ſect.* 1. *ſub ſect.* 3. oſtendere libertatem in dilectione Chriſti ergà Deum, ut in ea defenderet rationem meriti, quem miſſum facio, tùm quia ſatis implexus eſt, tùm quia planè reiicitur à Belluto *loc. cit.*

417 Poſtremò itaque hæc difficultas iuxtà principia noſtra ſoluenda eſt ex doctrina iam tradita *quæſt. præced. à num.* 389. quod ſicut Chriſtus ex ſpeciali privilegio erat ſimul Viator, & comprehenſor, ità etiam ſpeciali quodam modo merebatur; adeout in eius actibus, ut meritorii eſſent, ſola libertas remota erat

ſuffi-

ſufficiens ex intrinſeca voluntatis indifferentia derivata, qualis etiam in actu ipſo amoris beatifico reperitur, & minimè neceſſaria erat libertas proxima, & expeditus libertatis uſus ad operandum, & non operandum, ſicut requiritur in puro viatore, ut ibi fusè declaratum eſt; amor ergo Chriſti erga Deum etiam beatificus, qua parte erat neceſſarius, non erat meritorius, ſed ex ea parte, qua erat liber libertate remota ibi declarata.

Sed inſtat Averſa *q.18.ſect.3.* non poſſe eundem actum realiter ſimul eſſe neceſſarium, & liberum; vel enim re vera, & ſpectatis omnibus præviis ad operandum, voluntas poteſt non exercere talem actum, & ſic eſt prorſus liber, & non eſt neceſſarius; vel nõ poteſt non exercere, & ſic eſt prorſus neceſſarius, & non liber; ad hoc enim ut actus ſit ſimpliciter neceſſarius, ſatis eſt ut ex una parte neceſſitatem trahat; quamvis enim aliæ partes, ex quibus dependet, non afferant neceſſitatem, non propterea actus eſt liber, quia actus liber eſt, qui ſpectatis omnibus previis ad operandum poteſt exerceri, & non exerceri; & alioqui ſemper omnis actus eſſet liber, & nullus eſſet neceſſarius, quia ſaltem ipſa potentia voluntatis eſt de ſe indifferens, nec per ſe habet, aut dat actui neceſſitatem; ergo ſemper actus eſſet ex hac parte liber.

418 Reſpondeo hoc argumentum coincidere prorſus cum eo iam ſoluto *queſt. preced. num.* 402. dico igitur utique eundem actum intrinſecè, & eſſentialiter non poſſe eſſe ſimul neceſſarium, & liberum) quicquid modò ſit de libertate eſſentiali, quæ in ſententia noſtra optimè cum neceſſitate conſiſtit) poteſt tamen intrinſecè, & eſſentialiter eſſe liber, & extrinſecè, & accidentaliter neceſſarius ex defectu alicuius extrinſeci requiſiti ad expeditum libertatis uſum, qualis eſt concurſus Dei paratus ad utrumlibet, qui deficit in caſu noſtro de actu beatifico, ad quem proindè dicitur voluntas beati extrinſecè neceſſitari per voluntem Dei eam prævenientem, ut ſemper continuet actum fruendi, adeout nunquam poſſit potentiam ſuam intrinſecam non fruendi ad actum reducere, ex Scoto 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 6. *O.* Et gratis utique concedimus, ſpectatis omnibus ad operandum præviis, voluntatem beati non poſſe non exercere actum beatificum, & ſic non eſſe prorſus, & totaliter liberum, nego tamen hinc ſequi, quod ſit prorſus neceſſarius, & non liber, quia ſic deberet eſſe neceſſarius ex omni parte, ſeù ex quocunque capite, quod non evenit in caſu noſtro, quia ex parte potentiæ elicientis non habet neceſſitatem ratione intrinſecæ indifferentiæ ad agendum, & non agendum. Et cùm additur, ad hoc ut actus ſit ſimpliciter neceſſarius, ſatis eſſe, ut ex una tantùm parte neceſſitatem trahat, quamvis enim aliæ partes, ex quibus dependet, non afferant neceſſitatem, non propterea actus dicitur liber.

Reſpondeo, quod ſi per actum ſimpliciter neceſſarium intelligatur ille, qui non eſt plenè liber, & ex omni parte, ſic verum eſt aſſumptum; at ſi per actum ſimpliciter neceſſarium intelligatur ille, qui libertatem excludit ex omni parte, tam proximam, quàm remotam, in hoc ſenſu negatur illud aſſumptum; Et quia in communi modo loquendi actus ille dicitur ſimpliciter, & abſolute liber, qui ſpectatis omnibus prævius ad operandum poteſt exerceri, & non exerceri, ideò actus ille, cui deficit aliquid ex talibus ad agendum præ requiſitis, dici ſolet in communi modo loquendi ſimpliciter neceſſarius, etiamſi ex parte potentiæ intriſece indifferentis illum elicientis libertatem adhoc, & contingentiam retineat remotam; qua ratione quilibet actus ex voluntate procedens dici poteſt ex hac parte liber; quarè in hoc puncto lis eſſe non poteſt, niſi de nomine, & in modo loquendi.

QUÆSTIO UNDECIMA.

An ſibi Chriſtus de facto meruerit gloriam corporis, & animæ.

419 QVoad gloriam corporis, animæ impaſſibilitatem, cæteraſque eiuſdem immortalitatis dotes, reſpondent omnes Theologi affirmative, cùm id expreſsè ex Scripturis, & Patribus colligatur, & ſolum eſt aliqualis difficultas de modo, an, ſcilicet, hæc directè mervverit, vel potius indirectè; Scotus hic *diſt.* 18. *q. un.* inquit Chriſtum hæc ſibi non meruiſſe directè, & immediatè, ſed tantùm mediatè, & indirectè, quod probat, quia illud, quod ex ratione ſui antè omnem actum, & operationem alicui perſonæ ineſſet, niſi miraculo impediretur, non cadit directè, & immediatè ſub merito illius perſonæ; ſed gloria, & impaſſibilitas corporis, & animæ infuiſſent Chriſto in primo conceptionis inſtanti exiſtente anima ſua beata, niſi per miraculum fuiſſent prohibita; ergo per nullum actum hæc mervit Chriſtus directè, & immediatè.

Confirmatur, quando duæ perfectiones ità ſe habent, quod una pendet intrinſecè ab alia, & ab ea naturaliter dimanat, non dicitur quis ſecundam mereri concomitanter, niſi prius ſaltem naturæ prioritate mervverit primam; ſed gloria corporis Chriſti per ſe, & intrinſecè ex gloria, & beatitudine animæ dependet, & hanc Chriſtus de facto non mervit, ut tenent Thomiſtæ, & nos quoque mox dicemus; ergo &c. Concludit igitur Doctor Chriſtum indirectè tantùm, & mediatè gloriam ſui corporis meruiſſe, quia mervit auferri impedimentum, ſeù deſitionem illius miraculi, quo ablato ſtatim beatitudo animæ redundaſſet in copus; & ità loquuntur paſſim Scotiſtæ, tùm veteres, tùm Recentiores, Tataretus, Lichet. Aretinus, Faber, Bellutus, Gallus, Rada, & alii.

420 At reclamant Medina, Suarez, & alii Thomiſtæ, hoc adverſari expreſſis Scripturæ, & Patrum teſtimoniis, quæ apertè docent Chriſtum per ſuam paſſionem meruiſſe gloriam ſui corporis, & animæ impaſſibilitatem, ità ad Philipp. 2. *propter quod & Deus exaltavit illum &c.* & ad Heb. 2. *vidimus Ieſum propter paſſionem, gloria, & honore coronatum*, ubi particula *propter* denotat cauſam meritoriam. Deindè arguit Suarez, ſi aliquid impediret, quin gloria Corporis Chriſti eſſet eius meritorium objectum, hoc eſſet pręſertim, quia gloria corporis conſequitur, ut paſſio ad gloriam animæ, ut Scotus diſcurrit, meritum autem reſpicit pręmium liberè dandum propter ipſum & ideò quod regulariter habetur, & per miraculum ſuſpenditur, non cadit immediatè ſub meritum; at hoc eſt verum in aliis Beatis, in quibus nulla fit ſeparatio inter gloriam animæ, & gloriam corporis, cæterum in Chriſto interceſſit inter hæc diviſio, & multorum annorum, ergo gloria corporis in Chriſto poterat eſſe per ſe, & directè objectum meriti eius. Tùm quia non implicat idem pluribus titulis eſſe debitum, quamdiù res ipſa tradita non eſt, ergo eſtò gloria corporis Chriſti aliàs debita eſſet, potuit etiam eſſe effectus meritorum, quia poſt merita data fuit.

421 Sed immeritò Thomiſtæ hunc dicendi modum acriter adeò carpunt, & averſantur, cùm Cyrillus quoque *lib. 3. Theſauri, cap. 3.* explicans illa verba Apoſt. *propter quod & Deus &c.* Eodem prorſus modo diſcurrat in hoc puncto, ſicut Scotus, dùm inquit; non ergo ad meliorem mutatus eſt, ſed gloria, & exaltatio, quæ poſt Incarnationem ſibi donatur, nihil aliud eſt, quam dedecoris, ut ita dicam, deſtructio, quod dedecus propter humiliationem uſque ad aſſumendam carnem, & formam ſerui, quamvis carnis, & ſervi proprium, in ipſum tamen propter Incarnationem redundare videbatur, præſertim quoniam homo ſolùm, & non Deus putabatur; hæc Cyrillus, quibus verbis ſignificat ideò Chriſtum per paſſionem ſuam meruiſſe gloriam ſui corporis, quatenus mervit auferri impedimentum, ne gloria animæ redundaret in corpus, ut ei connaturaliter debebatur. Tùm quia Scotus non negat abſolutè Chriſtum meruiſſe ſui corporis gloriam, & cæteras immortalitatis dotes, ſed ait non meruiſſe directe, immediatè, & primariò ad eum modum, quo aliquis propriè mereri dicitur, quando per actus ſuos aliquid ſibi facit debitum, quod aliàs non erat debitum; & gratis concedit meruiſſe indirectè; mediatè, & ſecundario, eo modo, quo dicimus aliquem mereri, quando aliquid aliàs ſibi debitum facit per actus ſuos adhuc ſibi magis debitum, & in hoc ſenſu intelligi debent Scripturæ auctoritates allatæ; præterquamquod quamplures earum loquuntur de nominis exaltatione, dignitate capitis, judiciaria poteſtate, triumphi in aſcenſione, & aliis multis, quæ ei data ſunt poſt paſſionem, & iure unionis, & beatitudinis intrinſecè ſequi neceſſarium non fuiſſet, ſed ſolùm ex quadam congruitate, ac proindè ſub merito directè cadere poſſunt, eſtò Faber hæc quoque Chriſtum dicat indirectè meruiſſe.

422 Neque rationes Suarez urgent; non prima, quia ſeparatio facta in Chriſto inter gloriam animæ, & corporis ſufficiens non eſt, ut gloria corporis Chriſti poſſet, & primariò cadere ſub merito propriè dicto, quo nempè dicimur facere aliquid nobis debitum, quod abſolutè erat aliàs indebitum, quia redundantia gloriæ animæ in corpus erat aliàs debita, & de facto fuiſſet neceſſariò transfuſa, niſi per miraculum impedita fuiſſet. Ad aliam verum eſt idem duplici titulo deberi poſſe, dummodò non ſit annexum ex communi lege alteri iam acquiſito, & primariò debito, ut contingit in propoſito; & præſertim quando dicimus idem duplici titulo eſſe poſſe promeritum, id debet intelligi accipiendo mereri pro eo, quod eſt facere de debito magis debitum, quo ſenſu gratis concedimus Chriſtum per ſuam paſſionem mervviſſe condignè gloriam corporis, & animæ impaſſibilitatem; undè hic non poteſt eſſe quæſtio, niſi de nomine, & modo loquendi.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Quid dicendum de gloria animę.

423 QVoad gloriam animę, gratiam habitualem, & alia dona ſupernaturalia, ſunt tres ſententiæ: duę extremæ, & una media; Prima extrema aſſerit, nedùm hæc omnia potuiſſe mereri de potentia abſoluta loquendo, verum etiam de facto meruiſſe, quæ tribuitur Alberto, Maiori, Maironio, Baſſolio, & aliis Antiquioribus apud Vaſquez *diſp. 78. cap. 1.* Et ſequitur Bernal. *diſp. 55. ſect. 3.* ex nuperis, & Morandus *tract. 1. de Incarnatione q. 43.* Altera extrema aſſerit Chriſtum de facto nec meruiſſe ſuam beatitudinem, neque mereri potuiſſe, ſuppoſito, quod eam habuerit ad inſtanti conceptionis, ſicut re vera habuit; ità Medina cum aliis Thomiſtis 3. *part. q. 19. art. 3.* & ſequitur ex noſtris Faber *diſp. 39. cap. 6.* Tertia tandem ſententia media aſſerit potuiſſe quidem Chriſtum de potentia Dei abſoluta hæc omnia mereri, de facto tamen ea non meruiſſe, ità cum D. Bon. & Scoto 3. *diſt.* 18. tenent Neutrales paſſim Suarez *diſp. 40. ſect. 2.* Vaſquez *cit.* Beccanus, Tannerus, Raguſa, Lugo, Averſa, Arriaga, Amicus, Caſpenſis, Meracius, Paſqualigus, ac etiam Scotiſtę Rada, Aretinus, Gallus, Poncius, Bellutus, & eſt communis in Schola noſtra, quicquid dicat Vulpes *diſ. 32. art. ultim.* cuius opinionem accuratè examinat Bellutus *diſp. 14. q. 2.*

424 Dicendum eſt itaque cum hac tertia ſententia Chriſtum de facto non meruiſſe gloriam animæ ſuæ, nec alia dona ſupernaturalia, ut gratiam, & lumen gloriæ, quæ ipſam antecedunt, quia ut notat Doctor *diſt. 18. cit. § hoc viſo*, illa præhabuit perfectiſſimo modo, ut puta antè omnem actum ſe habentem per modum diſpoſitionis ad illa, qualis eſſet quilibet actus meritorius; neque id ullo modo præjudicat perfectioni, & dignitati animæ Chriſti, quia ut Doctor advertit *loc. cit.* nihilominus vere habuit poteſtatem merendi omnia illa, & de facto habuit actuale meritum tanti valoris, ut ad hæc omnia promerenda eſſet ſufficiens; quare quod propter ſolam anticipationem unum non fuerit ad aliud ordinatum nihil perfectionis, & dignitatis Chriſti minuit, imò magis in hoc modo habendi gloriam dignitas eius elucet quàm ſi eam ex merito habuiſſet; nam ea animæ beatitudo de facto eſt Chriſto tribuenda, in qua magis Deo aſſimiletur, ut diſcurrit Doctor ibidem, ſed Chriſti anima in eo magis Deo aſſimilatur, quod abſque aliqua alia actione ſuppoſita per modum diſpoſitionis, divinam eſſentiam intueatur, eaque fruatur, viſione, & fruitione quaſi ad modum propietatis naturalis ſubſecuta; cùm Dei perfectio in eo præſertim conſiſtat, ut naturali quadam neceſſitate, & ſummè ſuam eſſentiam videat, ipſamque ſummè, ac neceſſariò diligat, ergo ſimiles actiones ſunt in Chriſto conſtituendæ nullis aliis prioribus nec tempore nec natura ſuppoſitis per modum diſpoſitionis.

425 Et hoc eſt, quod inquit Doctor infrà lit. G. quod ſi conſideretur actus beatificus animæ Chriſti quoad modum habendi ipſum de facto, conſtat, quod ſub merito non cadit, quia collatus fuit antè omnem actum meritorium; undè ut Beccanus advertit, hic ordo in Chriſto de facto ſervatus eſt; primò fuit unio hypoſtatica, per quam conſtitutus eſt in eſſe Chriſti; ſecundò infuſio luminis gloriæ, & aliorum habituum ſupernaturalium, ut habitus ſcientiæ infuſæ, in intellectu, habitus charitatis in voluntatè, obedientiæ, & ſimilium virtutum; Tertiò tandem actus illorum habituum; inter quos actus hic rurſus ſervatur ordo, quod primò producuntur actus neceſſarii, ut viſio, & amor beatificus; deindè actus liberi, ut cognitio ſcientiæ infusæ, amor charitatis ergà proximum, actus obedientiæ, religionis, & aliarum virtutum; ex quo ordine conſtat omnem actum meritorium poſteriorem fuiſſe viſione, & amore beatifico, dependentem à tribus quaſi principiis; primò ab unione hypoſtatica quoad infinitum valorem; deindè ab habitu ſupernaturali quoad efficientiam, & tandem à viſione beatifica, vel cognitione ſcientiæ infuſæ, tanquam à conditione neceſſariò prærequiſita; Ex quo demum ſequitur Chriſtum de facto illa tria non meruiſſe principia, quia principium meriti non cadit ſub meritum; Cùm igitur actus beatificus fuerit animæ Chriſti collatus antè omnem actum meritorium, ſequitur evidenter de facto, & iuxtà ordinem modò in Chriſto ſeruatum talem actum ſub merito non cadere. Dices cum Bernal id probare ſolùm Chriſtum non meruiſſe ſuam beatitudinem per actus eam antecedentes, cum quo ſtat adhuc, quod meruerit per ſubſequentes eam in executione, licet pręcedentes in prævisione. Sed Contrà, quia de potentia ordinaria, de qua modò agimus, meritum etiam in executione præcedit præmium eiuſdem perſonæ merentis; tùm quia opera ſubſequentia non poſſunt eſſe meritoria gratiæ, & beneficii præcedentis, niſi ſatis impropriè loquendo; ut mox dicemus.

426 Denique inquit Doctor hunc modum habendi beatitudinem ſine merito fuiſſe Chriſto glorioſiorem, tùm quia longè glorioſius eſt ipſi prius habere actus illos perfectiſſimos viſionis, & fruitionis beatificæ, quàm imperfectiores, quales eſſent quicunque per quos illos mereretur; tùm quia ſignum ſpecialiſſimi amoris fuit erga humanitatem Chriſti, quod fuerit à Deo præventa actu beatifico, quem alioquin mereri potuiſſet; ſicut ſi Rex alicui ex ſuis magnam aliquam conferret dignitatem, antequam eam mereretur, quam aliis non confert, niſi poſtquam eam meruerunt, ſignum eſſet illum præ aliis fuiſſe dilectum; tùm tandem quia hoc etiam in maiorem reſultat Dei præmiantis liberalitatem, ut ſummam gloriam dono alicui concederet, & abſque ullo merito præcedente, quam ſanè liberalitatem non niſi cum Chriſto exercuiſſe conſentaneum fuit.

427 Alias rationes alii ad id probandum adducunt, & præſertim illi fidunt, quod gloriam, & gratiam, ac cætera dona ſupernaturalia Chriſtus habuit, tanquam proprietates connaturales, & neceſſariò conſequentes unionem hypoſtaticam, vel neceſſitate naturali, vel ſaltem morali, & ratione illius fuiſſe illi conceſſa in primo ſuæ conceptionis inſtanti; quod autem datur alicui ex debito connaturali, non datur per modum præmii, tantùm per modum debiti connaturalis; qua ratione ſuprà probavimus ex Scoto; Chriſtum ſaltem directè, & immediatè gloriam ſui corporis non meruiſſe; quia hæc connaturaliter ei debebatur ratione beatitudinis, ad quam neceſſariò conſequitur, ut patet in aliis Beatis. Hæc tamen ratio non urget, alioquin non ſolùm de facto probaret, ſed etiam de poſſibili, & abſolutè loquendo. Tùm quia gloria non eſt connaturalis humanitati Chriſti ſecundum ſe; humanitati verò ut unitæ dicitur connaturalis, non quia ſit proprietas phyſicè manus ab ipſa unione, ſed quia ei debetur ſecundum quandam proportionem, & congruentiam. Tùm quia abſolutè non repugnat idem deberi, & dari pluribus titulis, ſicut iuſtis debetur gloria, & tanquam hæreditas, ut filiis adoptivis, & tanquam merces, ut benè meritis; ſic in propoſito eadem gloria abſolutè loquendo haberi poteſt, ut proprietas connaturalis ipſi unioni, & fieri debita ex iuſtitia per meritum, & illi duo tituli optimè inter ſe conjungi poſſunt; qua de cauſa iam ſuprà diximus hac ratione non abſolutè negaſſe Doctorem Chriſtum meruiſſe ſui corporis gloriam, ſed tantùm directè, & immediatè.

428 Deindè, quod etiam abſolutè loquendo Chriſtus gloriam animæ ſuę, aliaque dona ſupernaturalia mereri potuerit, ut tertia aſſerebat opinio, primò probari poteſt ſuppoſitione facta, quod Chriſtus ab initio ſuæ conceptionis in illo primo inſtanti gloria animę caruerit, ſic enim iuſti per bona opera facta in gratia merentur gloriam de condigno; ergò multò melius potuit Chriſtus, ſuppoſitione facta, quod ea caruerit, illam de condigno mereri; Ac etiam rurſus ſuppoſito quoque ſicut res ſe habet, quod ab inſtanti ſuę conceptionis gloriam animę habuerit, potuit adhuc Chriſtus abſque rupugnantia eam mereri; Siquidem abſque repugnantia potuit Chriſtus habere actum meritorium, qui ſolùm prius natura pręcederet illud pręmium, quamvis ſimul in eodem inſtanti eſſet cum eo; ergo potuit mereri gloriam, quam habet abſque repugnantia; conſequentia patet, probatur aſſumptum, quia ut docet Doctor *diſt. 18. cit. lit. G* licet ſit de ratione meriti propriè dicti pręmium pręcedere, non tamen opus eſt, ut ſemper tempore pręcedat, ſed ſufficit prioritas naturę, ut conſtat tùm in augmento gratię, quod in pręmium datur iuſtis in eodem inſtanti, in quo meritoriè operantur; tùm in prima gratia iuſtificante, quę propter actum contritionis, tanquam propter meritum de congruo, datur contrito in eodem inſtanti, in quo conteritur.

Confirmatur, quia nullum apparet inconveniens, quod Chriſtus in inſtanti ſuę conceptionis ſimul habuerit actum meritorium fruendi Deo, & diligendi ipſum, & actum ipſum beatificum, atque ità meruerit gloriam animę eliciendo talem actum perfectiſſimum formatum à charitate, & acceptatum à Deo ad tantum pręmium, iuxtà quem dicendi modum Chriſtus non meruiſſet ſuam beatitudinem eodem actu beatifico, cùm idem reſpectu ſui ipſius nequeat eſſe meritum, & pręmium, ſed alio, qui tantùm natura pręceſſit illum, & ordine cauſalitatis, non autem duratione.

429 Tandem eodem modo de gratia habituali diſcurrendum eſt, quod Chriſtus de facto gratiam habitualem non meruerit, quia omnis actus in Chriſto meritorius fuit poſterior infuſione gratię, ſiquidem radix & principium meriti tam in Chriſto, quàm in cęteris iuſtis eſt gratia habitualis de potentia ordinaria, & quia Deus de facto ſemper ordinem ſervat, quem res exigunt ex ſua natura, niſi ordinem invertendi ſit urgens cauſa, ideò de facto dicendum eſt Chriſtum non meruiſſe gratiam habitualem, ut fusè Rada *controverſ. 12. art. 3. concluſ. 7.* ſed eam antecedenter habuiſſe ad omne actum meritorium, tùm ut anima Chriſti eſſet ornata omnimoda ſanctitate, tùm etiam ut haberet principia connaturalia ſupernaturaliter operandi, Quamvis autem de facto res ita ſe habeat, tamen ſimpliciter, &

abſolutè loquendo potuiſſet fieri, ut Chriſtus haberet actum amoris ex actuali Dei gratia prius ordine naturæ, quam infunderetur illi gratia habitualis, & quod eſſet ſufficienter ſanctificatus, & Deo acceptus per ſolam unionem hypoſtaticam, quo caſu per illum amoris actum meruiſſet gratiam habitualem; Et licet purus homo non poſſit de condigno mereri primam gratiam ſanctificantem, Chriſtus tamen poterat, quia videlicet in puro homine non invenitur alia dignitas ex parte operantis, ſed in Chriſto ſupponebatur dignitas infinita penes hypoſtaticam unionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur Objectiones.

430 IN oppoſitum obiices primò, Chriſtum de facto meruiſſe ſibi gloriam animę, Lucæ ultim. *Nonnè oportuit hæc pati Chriſtum & ita intrare gloriam ſuam?* ſi autem neceſſaria fuit Chriſto paſſio, ut per eam in gloriam ſuam intraret, non ergo fuit illi gratis collata, ſed tanquam præmium, & merces propriis meritis, & laboribus retributa; Et Hebræorum 2. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum*, & alia plura extant Scripturæ teſtimonia, eodem modo de Chriſti merito loquentia in ordine ad gloriam, & beatitudinem ſuam. Confirmatur ratione, quia illud de facto tribuendum eſt Chriſto, quod eſt perfectius; at perfectius eſt habere aliquid per proprium meritum, quàm gratis, quia habere aliquid per proprium meritum eſt habere illud propria virtute, qui modus habendi proculdubio perfectior eſt, quàm habere per extrinſecam duntaxat voluntatem donantis. Rurſus urget Morandus, in actibus præcedentibus prioritate naturæ, & rationis prædicta dona in Chriſto ſunt omnia requiſita ad meritum de condigno, quia illi actus ſunt boni ſupernaturales, liberi Chriſtus erat viator, carus Deo per unionem hypoſtaticam; ergo &c. Denique cùm verſemur in myſterio maximè ſupernaturali dicendum eſt cum D. Auguſt. aliam non eſſe rationem facti, quàm potentiam facientis; ſi igitur poterat hoc fieri, præſtabit dicere ità factum eſſe, cùm id redundet in maiorem Chriſti perfectionem.

431 Reſpondeo hæc, & ſimilia loca explicari à Scholaſticis, & Patribus de gloria corporis, non animæ; Sed dices Anſelmum exponere teſtimonium adductum ad Hebr. 2. non tantùm de gloria corporis, ſed etiam animæ, inquit enim *videmus oculis fidei Jeſum propter paſſionem, gloria, & honore coronatum ſecundum animam, & corpus*; Verùm Anſelmus ibi non loquitur de gloria animæ eſſentiali, de qua hic eſt ſermo, ſed de accidentali, ut complemento tantùm gloriæ eſſentialis, quod complementum in ipſa animæ impaſſibilitate conſiſtit, quam ſimul cum impaſſibilitate corporis propter ſua merita poſt reſurrectionem accepit. Ad 2. ſatis conſtat ex dictis *n*. 424. & indè in probanda hac concluſionis parte, modum habendi beatitudinem in Chriſto ſine merito præcedente, ſed potius per modum debiti connaturalis, aut proprietatis, quaſi naturalis ad unionem hypoſtaticam conſecutæ, longè perfectiorem fuiſſe, quàm ſi habuiſſet per proprium meritum; ſic enim habendo beatitudinem magis aſſimilatur Deo, ut ibi dictum eſt; quia ſic habuit gloriam, & gratiam, veluti per modum naturæ, & ex vi filiationis veluti naturalis, tanquam primum donum ad hujuſmodi filiationem conſequens; Dices, perfectius fore in Chriſto habere gloriam ex utroque titulo, ſcilicet, ratione unionis, & ex merito; ſicut filio naturali Regis, cui poſt Patris obitum iure hæreditatis regnum debetur, glorioſius eſſet, ſi etiam ob inſignem victoriam; & præclara facinora illi conferretur, cùm ſuprà dictum ſit non repugnare idem deberi pluribus titulis. Reſpondeo utrumque titulum planè honeſtiorem eſſe, ſed cùm ordini naturæ conſentaneum eſſet, ut Chriſtus operaretur modo magis connaturali nempè ex habitu, quàm ex auxilio ſupplente vicem habitus, ſic etiam magis conſentaneum fuit, ut uno titulo eam habuerit, quàm quod inverteretur ordo naturæ abſque neceſſitate; inverſus autem eſſet ad hoc, ut Chriſtus eam habuiſſet ex utroque titulo, nam operari debuiſſet abſque connaturali principio.

432 Addit Doctor in ſolutione huius argumenti non fuiſſe inglorioſius Chriſto, gloriam de facto habuiſſe ſine merito, quia ex ſe potentiam ſufficientem habebat ad merendum illam, niſi fuiſſet ex divina liberalitate præventus, undè quod Chriſtus non meruerit beatitudinem, non ex ipſius impotentia evenit, ſed quoniam merita præventa ſunt; Ex quo rurſus ad argumentum dici poteſt, perfectiorem modum eſſe habere aliquid ex meritis, quam ſine meritis, quando in eo qui habet gratis deſunt opera, aut valor operum ad merendum; at in Chriſto non deerant opera, aut valor operum ad merendum, ſed ſolùm defuit prioritas naturæ, & cauſalitatis, qua potius gratia, & gloria debebant præcedere ad opera, & merita Chriſti, qua Scoti ſolutione utuntur Averſa, & alii Recentiores; Dices, ad meritum ſufficit prioritas naturæ in ordine ad præmium; reſpondet Doctor ſufficere utique prioritatem naturæ inter meritum, & præmium, non tamen ſufficere prioritatem ſolius voluntatis.

Ad 3. falsò ſupponitur in argumento actus meritorios præceſſiſſe illa dona, cùm potius res è contrà ſe habeat, ut actus illi connaturali modo producerentur, ut conſtat ex ordine aſſignato *num*. 425. & quidem gratia ipſa habitualis etiam in ipſo Chriſto fuit cauſa efficiens actus meritorii, ſicut eſt in nobis, non autem unio hypoſtatica; ac etiam per ipſam gratiam habitualem fuit formaliter ſanctificatus, Deo carus, & acceptus, non autem per hypoſtaticam unionem, niſi radicaliter, & originativè, ut dictum eſt *diſp*. 2. Ad 4. ita factum eſſe, ut diximus, colligitur ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis*, quibus verbis innuens Evangeliſta modum, quo Chriſtus gloriam animæ cum reliquis donis infuſis poſſedit, non aſſignat propter merita, ſed propter naturalem, aut propriam filiationem Dei, ut ait Scot. 3. *diſt*. 2. *quæſt*. 2. G. quem locum ſic exponit Chriſoſtomus apud D. Tho. in catena dicens *vidimus gloriam, qualem decebat, & conveniens eſt habere unigenitum, & naturalem filium*, quod eſt habere illam iure proprio, & hæreditario ſibi debitam; Hoc etiam approbat communis Theologorum conſenſus; undè Valentia *punct*. 3. dimiſſis rationibus ob ſolam illorum auctoritatem huic concluſioni conſentit, qua etiā de cauſa Suarez *diſp* 4 *cit*. & Arriaga *diſp*. 43. *ſect*. 5. & alii, licet partem affirmativam probabilem cenſeant, tamen propter communem auctoritatem partem negativam ſequuntur, ut probabiliorem; ac denique falſum eſt redundare in maiorem Chriſti perfectionem, quod meruerit gloriam animæ, ac cętera dona ſupernaturalia, ut conſtat ex dictis. 433

Deindè probatur è contrà, nedùm de facto, ſed nec etiam de poſſibili potuiſſe Chriſtum hæc mereri, quia impoſſibile eſt moveri ad terminum, & eſſe in termino; ſed mereri gloriam eſt moveri ad gloriam; ergò impoſſibile eſt eſſe in termino gloriæ, & moveri ad illum. Deindè vel poſſet eſſe tale meritum per opera, quę antecedunt ipſam viſionem beatam, & hoc non, quia ſupponimus animam Chriſti nunquam caruiſſe illa viſione, & fruitione, vel per opera ſubſequentia, & hoc eſt contrà rationem ipſius meriti; debet enim antecedere præmium, cum ſit illius cauſa, & aliquo modo efficiens. Denique hæc videtur fuiſſe expreſſa mens Scoti in hac quæſtione, etenim *lit*. *Q* ait beatitudinem Chriſti adeò excellentem fuiſſe, ut ſub meritum cadere non potuerit, qua de cauſa Faber *cit*. ait rationes Scoti, quibus probat Chriſtum ſuam beatitudinem non meruiſſe, probare non ſolùm de potentia ordinaria, ſed etiam de potentia abſoluta, licet ipſe loquatur tantum de facto. 434

Reſpondetur, non eſſe impoſſibile ſimul moveri ad terminum, & eſſe in termino, quando terminus, & motus eſſe poſſent in eodem inſtanti, ſicut contingit de merito, & præmio; nam pro eodem inſtanti, quo quis meretur gratiæ augmentum recipit illud tùm quia, ut inquit Averſa, de Chriſto, in eo caſu, non tam diceretur, quod Beatus meruiſſet, quàm potius, quod merendo factus eſſet beatus, ſiquidem dicebamus, quod prius natura meritum habuiſſet, & ex vi meriti beatitudinem accepiſſet; neque in hoc ordine ſpirituali ulla eſſet repugnantia, ſimul eſſe in via, & in termino, cum ordine tamen naturæ, ut ex re ipſa conſtat. Ad 2. dicimus, quod eo caſu mereretur gloriam ſuam per alium actum dilectionis Dei ab actu beatifico diſtinctū, atque ipſo natura priorem, licet non duratione, modo iam explicato *n*. 428. Ad 3. reſpondet Bellus cum Licheto, Scotum ibi loqui de potentia ordinaria, & de facto, non de abſoluta, quia in Scoti ſententia poteſt Deus quemcunque actum bonum etiam minimum acceptare tanquam meritum de condigno cuiuſcunque præmii quantumvis magni. Sed falſitatem huius doctrinę pluribus Scotiſtis ſatis familiaris abundè, oſtendi *q*. 4. huius diſputationis, ac etiam *q*. 8. *à n*. 179. ſicut neque Scotum in hoc ſenſu dixiſſe meritum pendere ex acceptatione; an hoc pacto quælibet res in ſe minima dici poſſet meritū condignum cuiuſcunque præmii, quamtumvis magni, quod eſt omninò falſum, ſic enim dici poſſet Petrum prætio condigno equum emiſſe à Paulo uno quadrante, eo quod Paulus fuit contentus illum dare pro ſolo quadrante; & poſſet quis dici integrum Regnum de condigno meruiſſe ob minimum obſequium ſemel Regi factum, quia Rex tali obſequio fuit contentus; quæ manifeſtè patet eſſe abſurda, quia inter meritum, & præmium de condigno debet intercedere æqualitas, & proportio, & per hoc ſecernitur à merito de congruo, & ab eo, quod intervenit per modum ſimplicis conditionis, ſicut contingit in adductis exemplis, ubi obſequium Regi factum pro regno accipiendo, & quadrans Paulò datum pro equo, intervenirent per modum puræ, & ſimplicis conditionis, non autem per modum meriti condigni, quia inter ea nulla eſt proportio. 435

Præſtat itaque dicere cum Rada *loc. cit*. quod Scotus ibi non ſolùm conſideravit excellentiam præmii in ſe, & ſecundum ſuam rationem, ſed præſertim modum habendi illud, ut puta antè omnem actum elicitum, in quo poſſet conſiſtere meritum ejus; inquit enim, quod ſicut Deus creavit in eſſe naturæ aliquam naturam, ſcilicet, Angeli, ad quam creandam non potuit cooperari cauſalitas cauſæ ſecundæ propter perfectionem talis naturæ; ità in genere moris creavit Deus aliquem actum beatificum, ad quem non poteſt eſſe aliquis actus meritoris prior; & hujuſmodi fuit actus beatificus animæ Chriſti, & hoc propter excellentiam actus, & modi habendi actum, quia immediatè antequam haberet aliquem actum; Si igitur actus beatificus animæ Chriſti conſideretur quoad modum habendi ipſum, conſtat ſub merito cadere non poſſe, quia collatus fuit antè omnem actum meritorium; atque ideò, ut ſic, ſub merito cadere non poteſt, quia meritum debet ſaltem naturæ ordine præcedere præmium; ſed ſi actus ille beatificus ſecundum ſe conſideretur à tali modo præciſus, abſolutè ſub merito cadere potuit, quia ex natura rei nulla apparet repugnantia, quod ipſum præceſſerit aliqua meritoria operatio, cui ut præmium correſponderet. 436

437 Sed inſtat Faber citat. quod non tantùm ex modo habendi talem actum beatificum, ſed etiam ratione excellentiæ ipſius repugnat cadere ſub merito etiam de potentia Dei abſoluta, quia meritum ex natura ſua, & ex debito iuſtitiæ debet eſſe æquale præmio, non minoris valoris, alioquin non eſſet juſtitia; at actus meritorii, qui ineſſe potuerant Chriſto, non fuerunt, neque eſſe potuerunt æqualis excellentiæ cum actu fruitionis; ergo fruitio non cecidit, nec cadere potuit ſub merito, conſiderata quoad excellentiam; Major eſt clara, probatur minor, quia Chriſtus mereri potuit actibus partis ſenſitivæ, & portionis inferioris, & per dilectionem charitatis rerum viſarum in Verbo, at patet, quod iſti actus non ſunt comparandi cum fruitione beata, quia hic actus non eſt ad finem, ſed circa finem ipſum, nec circa obiecta ſecundaria, ſed circa obiectum primarium, & eſt primus actus, & perfectior, quem habere poſſit voluntas. Nec juvat dicere, quod actus illi erant eliciti à ſuppoſito divino; ergo ratione dignitatis ſuppoſiti erant infiniti valoris, ac proindè poterant condignè fruitionem mereri. Non valet, quia etiam fruitio eſt actus ſuppoſiti divini, & ultrà habet maiorem excellentiam ratione ſuæ ſubſtantiæ, & circumſtantiarum; ergo priores illi actus meritorum non ſunt æquales in excellentia cum hac fruitione.

438 Reſpondeo, ſi hæc ratio urgeret, probaret pariter neque nos per ullum actum mereri poſſe gloriam de condigno, ſiquidem comparando actum hominis meritorium cum præmio gloriæ, multò nobilior eſt, ac perfectior viſio, & fruitio Dei in patria, quàm actus quicunque hominis in via, etiam ex gratia, actuali, & habituali procedens; hanc verò difficultatem parui eſſe momenti jam oſtendi *qu*. 1. hujus diſputationis *num*. 8. quià æqualitas, & proportio meriti condigni cum ſuo præmio non debet eſſe abſoluta, aut formalis ſecundum entitatem, aut quantitatem molis, ſed ſufficit quod ſit æqualitas proportionis, & quaſi ſecundum quantitatem virtutis modo ibi explicato; in hoc igitur ſenſu quicunque actus Chriſti meritorius potuit æqualitatem habere cum fruitione beata, quamvis iſta ratione obiecti, & quoad ſubſtantiam actus longè illos excederet in entitate; nec refert, quod fruitio animæ Chriſti eſſet ſumma, & infinitæ dignitatis ratione ſuppoſiti eam elicientis; quia etiam gratia Chriſto collata ſumma fuit, & omnes eius actus eandem habebant dignitatem ratione divini ſuppoſiti, & ideò Doctor in ſecunda ſolutione illius argumenti hac ratione conceſſit fruitionem Chriſti potuiſſe ſub merito cadere, abſolutè loquendo, & Chriſtum ex ſe habuiſſe ſufficientem virtutem ad illam merendam, & eatenus de facto eam non meruiſſe, quatenus fuit divina liberalitate præventus, ne eam mereretur, alioquin eam meriturus, niſi præventus eſſet; itaque argumentum probat ſolùm, quod actus meritorii Chriſti non ſunt comparandi cum fruitione beata, nec ſunt illi æquales in entitate, & quoad ſubſtantiam actus, cum quo adhuc ſtat, ut poſſint eſſe illi inæquales in proportione, & quaſi ſecundum quantitatem virtutis, ſiquidem inter præmium, & meritum ſola ſufficit comparatio ſecundum rationem quadam valoris, quo pacto pecunia, quamvis in materia viliori, tamen in æſtimatione poteſt habere valorem ad rem prætioſiorem, quæ doctrina communis eſt, & non ſolùm D. Thomæ *qu*. 114. *art*. 3. *ad* 5. ſed etiam D. Bonav. 2. *diſt*. 27. *art*. 2. *in fine*, & Scoti 4. *diſt*. 46. *qu*. 4. *in fine*, ubi æqualitatem meriti ad præmium, & demeriti ad pœnam vocat æqualitatem proportionis, non quantitatis.

QUÆSTIO DUODECIMA.

An Chriſtus ſibi de facto meruerit, vel ſaltem mereri potuerit unionem hypoſtaticam.

COnveniunt omnes Theologi de facto nec Chriſtum ſuam meruiſſe Incarnationem, nec humanitatem ſui unionem ad Verbum, quod quidem ex pluribus Sacræ Scripturæ teſtimoniis deducitur, quibus hoc myſterium ſimpliciter gratis factum dicitur, ut Ioan. 3. *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* ad Epheſ. 2. *propter nimiam charitatem* &c. Et quamvis Vaſquez, Averſa, Gallus, Lugo, Bellutus, & alii cenſeant has auctoritates intentum non convincere, quia poſſent explicari, quod merita tantùm excludant reſpectu noſtri, non autem Chriſti, ſicut gratia reſpectu noſtri habet rationem doni gratuiti, at reſpectu Chriſti habet rationem mercedis; Nihilominus, cùm ſemper Scriptura de hoc myſterio loques hac phraſi utatur, eſt accipienda etiam reſpectu humanitatis Chriſti; nam dato oppoſito non potuiſſet Scriptura in locis citatis cum proprietate, ac abſoluta locutione, Incarnationem Verbi, gratiæ Dei, ac ejus benevolentiæ totaliter adſcribere: Tùm quia etiam relati Auctores fatentur hoc ipſum D. Aug. pluribus in locis expreſsè docuiſſe, ut *lib. de concep. & gratia c*. 11. *&* 13. *de Trin. cap*. 17. *& de bono perſeverantię cap. ult. in Encherid. cap*. 36. *ſerm*. 8. de Verbis Domini, & adhuc expreſſius de prædeſt. Sanctorum *cap*. 15. quod etiam docuit Scotus 4. *diſt*. 2. *quæſt*. 2. M. ubi ait, quod in univerſis operibus Dei non fuit aliquod opus merę gratiæ, niſi ſola Incarnatio Filii Dei. 439

Hoc etiam evidenti convincitur ratione, quia vel Chriſtus ſuam Incarnationem meruiſſet, aut eius humanitas ſui unionem ad Verbum per opera unionem hypoſtaticam ſubſequentia, vel præcedentia, non primum, quia de facto, & de potentia ordinaria meritum præcedit præmium, non ſubſequitur, tùm quia gratia unionis in Chriſto fuit radix, & primum principium omnis meriti ex Scot. 3. *diſt*. 19. *B*. ergò ſub meritum cadere non potuit, aliter idem eſſet cauſa, & effectus. Neque ſecundum, quia hæc opera meritoria humanitatis Chriſti ad ſuam unionem cum Verbo, vel præceſſiſſent talem unionem duratione, vel ſaltem natura, non primum quia eſt de fide, quam profitemur contra Eutychem, Chriſti humanitatem, & animam non prius duratione productam fuiſſe, quàm Verbo unitam, ergo nec prius duratione aliquid promeruit, neque ſecundum, quia licet prius natura fuerit exiſtens, non tamen ſubſiſtens, ſed facta eſt ſubſiſtens per ipſam unionem ad Verbi ſubſiſtentiam, at prius natura eſt humanitatem uniri ſubſiſtentiæ, quàm operationes alias elicere, cùm enim ſubſiſtentia ſit modus ſubſtantialiter complens, & terminans naturam, eſt illi magis intrinſeca, quàm quodvis accidens, & operatio eius. Tùm quia in illo priori naturæ, in quo humanitas exiſtens non adhuc intelligebatur unita Verbo, non habuit donum gratiæ ſanctificantis, gratia enim habitualis non pręceſſit unionem, ſed ſubſecuta eſt Scot. *diſt*. 2. & omne donum in Chriſto fuit intuitu unionis hypoſtaticæ jam peractæ, ergo in illo priori nequivit per aliquam operationem unionem promereri, conſequentia patet, quia ſecluſa gratia iam illa operatio non eſſet ſupernaturalis, & conſequenter neque meritoria excellentiſſimi doni ſupernaturalis, qualis eſt unio hypoſtatica, quædam Scripturæ auctoritates, & rationes facilis ſolutionis ſolent contrà adduci, quæ apud Bellutum videri poſſunt *diſp*. 6. *q*. 3. *art*. 1. & alios. 440

Sola igitur remanet difficultas de poſſibili, nùm, ſcilicet, potuerit Chriſtus de potentia Dei abſoluta ſuam mereri Incarnationem, aut eius humanitas ſui unionem ad Verbum per opera unionem præcedentia, vel ſaltem ſubſequentia: Prima ſententia affirmat potuiſſe Chriſtum ſibi mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam (in quo ſenſu hic eſt quæſtio) per opera antecedentia, non verò ſubſequentia, undè putant potuiſſe Deum facere, ut in illo priori inſtanti naturæ, in quo intelligitur natura, ut exiſtens, priuſquam perſonata, elicuiſſet aliquem actum, & talem gratiam illi tribuere, ut per illam meruiſſet Incarnationem, non enim implicat, inquiunt, quod Deus pervertat ordinem naturæ, itaut prius competat naturæ aliqua operatio quàm ſubſiſtentia, ità Cajet. 3. *part*. *quæſt*. 4. *art*. 2. Hurtad. *diſp*. 27. *ſect*. 3. Beccan. 3. *part*. *ſumma cap*. 14. *qu*. 6. Rada *tom*. 3. *cont*. 12. *art*. 3. *dub*. 1. & alii nonnulli ut Amicus, Arriaga, Orlandus. Secunda ſententia è contrà ſuſtinet potuiſſe quidem Chriſtum ſuam mereri Incarnationem per opera ſubſequentia, non autem antecedentia, dicunt enim nec de potentia Dei abſoluta fieri poſſe, ut in illo inſtanti naturæ priori potuerit humanitas Chriſti elicere aliquem actum meritorium, itaut ordo naturæ in ſubſiſtendo, & operando poſſit à Deo immutari, ità Suarez 2. *par*. *diſp*. 10. *ſect*. 3. *&* 4. cùm multis aliis. Tertia opinio affirmat id fuiſſe poſſibile utroque modo, tam, ſcilicet, per opera antecedentia, quàm ſubſequentia, ità Bellut. *loc. cit. ubi concl*. 3. inquit de potentia abſoluta potuiſſe humanitatem Chriſti mereri Incarnationem